TIT. XLVII.

DE[1] HEREDIBUS[2].

NOVELLA CONSTIT. CLXIV.

PRÆFATIO.

Ea simul & justitia[3] *nihil majus existit: absque his enim nihil unquam commode geri potest, & præcipue in nostra hac republica. Exinde enim & recte regnare & subditos ad benevolentiam, neque non ad summam licet attrahere devotionem.* Ea propter cum & nos divinitus, perque justitiam imperii sceptra susceperimus, tametsi multis undique curis implicamur, quo magis & Romani quotidie virtutibus reddantur auctiores, & Barbari devicti succumbant: non tamen pœnitus a solicitudine nostra secludimus, ne non in his, quæ privatim usui esse possint subditis, competens accommodetur providentia. At cum multa, quæ prius confusa erant, ad meliorem statum erexerimus: conveniens esse putavimus & id, quod longo jam tempore in successionibus neglectui fuit habitum, ad actionem Deo placentem reducere. Cognovimus enim, quod quidam oberrantes defunctorum perturbant patrimonia, sed[4] neque testamenta valere sinunt, neque item ab intestato successiones locum capere, mobilibus quidem rebus immittentes signacula[5], immobilibus vero imponentes titulos: ut hac ratione ipsis illorum successio adcrescat, inque ea decentem aliquem ordinem occupent. Quoniam vero impossibile est in tanta multitudine exacte ea quæ singulatim in talibus eveniunt perdifcere: perpulchrum nobis visum est, si generali hæc lege ad certam redigeremus formulam.

CAP. I.

PRopterea sancimus, ut universi citra invidiam & rebus juribusque suis perfruantur, & ad suos ista transmittant heredes. Penitus autem nemo omnium illorum invadat patrimonia, aut horum successores damnis implicet, aut titulos[6] sive signacula rebus præter legum nostrarum placitum imponat. Nam & successiones ab intestato, quo quisque vocatur ordine, confirmamus: & ultimas horum voluntates legitime consistentes non subvertimus. Si enim sedulo advigilamus, fumusque solliciti, ut collatores bonis gubernentur legibus, & de eorum incolumitate multo maximam potentia nostra curam sustinet: quomodo non in hanc quoque partem providentiam ipsis accommodaverimus, & alacriter nostrum ipsis imperitamur beneficium? hæc etenim placere Deo perfuasissimum habemus, & hoc justitiæ munus esse asserimus: persuasissimum quoque est, Imperium per hæc nobis undique munitum & quietum futurum. Connumerator itaque & hæc nostra lex cæteris præclaris nostris facinoribus: & subditi pristinis liberati molestiis, & tanta a potentia nostra dignati providentia, Deo simul & post illum nobis gratius agant: divinum numen placantes precibus, ut devictis hostibus, aliam insuper & majorem ipsis securitatem impertiamur.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt & per hanc sacram declarantur legem, ea confervanto tam gloriosissimi sacrarum domuum curatores, quam quibus vel maximorum, vel etiam minorum gerendorum magistratuum cura sive in alma hac urbe, sive item in provinciis commissa est, publicationem bonorum juxta & supplicium formidantes capitis, si sancita nostra transgressi fuerint. Præsentem itaque sacram nostram legem gloria tua in insignioribus[7] locis hujus almæ urbis proponet, sed & usa ad hoc jussionibus transmittet in provincias.

TIT. XLVIII.

GENERALIS FORMA[8] DE PROSPECTU[9] IN MARE, SCRIPTA DOMINICO GLORIOSISSIMO PRÆTORIORUM PRÆFECTO.

NOVELLA CONSTIT. CLXV.

DOcuit nos mater &c. Prospectus[10] in mare, qui intra centum esse pedes solet, non solum per directum, sed ne per transversum quidem, impediri novo debet opere, hoc enim præsens forma adjicit, tum Zenonis constitutionem custodiens, tum Novellam interpretans.

Hactenus editæ Novellæ extant, aut apud veterem interpretem, aut Haloand. aut Scrimg. aut Julianum. Trium sequentium titulos ex Haloandro aut Augustino. Verba vero, ac quid sibi singula breviter velint, quando a nullo adhuc conversa certum est, ex doctissimo Cujacio hic excudi curavimus.

Forma præfectorum[11] prima.

TIT. XLIX.

DE ADJECTIONIBUS[12], ID EST, DE PRÆDIORUM STERILIUM AD FERTILES IMPOSITIONIBUS.

NOVELLA CONSTIT. CLXVI.

Hæc est fere sententia hujus constitutionis.

SI defunctus justa ex causa fundum aut territorium aut compossessionem[13] alienaverit, & moriens residua bona liberis vel extraneis heredibus reliquerit, qui ex eis similiter prædia quædam alienaverint, ex quibus possidente emptore aliquod forte postea defecerit, ita ut locus sit ἐπιβολῆ[14], quam prædia sustinent, quæ sunt ex eadem substantia & origine *l.* 10. & 12. *C. de omni agro deser.* ut ne defecti, vel deserti prædii onus irrogetur simul ejusdem substantiæ prædiis omnibus, sed cæteris primum prædiis quæ possidet is qui ea emit a liberis vel extraneis heredibus defuncti: vel, si hic idoneus non sit, heredibus defuncti, id est, prædiis quæ possident heredes defuncti ex eadem substantia: aut si forte hæc etiam non sufficiant publicæ collationi, tum ut onus transferatur ad alia defuncti bona, quæ ad alios quam ad heredes pervenerunt. Ad eum igitur qui fundum aut compossessionem a defuncto emit, ut possumus initio. Idemque dicendum est, si ea prædia per plures successiones transierint. Quamdiu enim proximiores sive posteriores possessores idonei sunt, ἐπιβολὴ antiquioribus non irrogatur, id est, defecta prædia eorumque tributa antiquiores possessores non agnoscunt: quod si ejusdem gradus & ordinis plures sint possessores quibus injungi ἐπιβολὴ oporteat, ut inter eos oneris divisio non fiat ex æquo, sed pro rata fertilium bonorum quæ possident ex eadem substantia.

Forma P. P. vicesima quarta.

TIT. L.

GENERALIS FORMA[15] DE POSSESSIONE, QUOMODO OPORTEAT MITTI IN EAM, BISSI GLORIOSISSIMI PRÆFECTI.

NOVELLA CONSTIT. CLXVII.

Hæc est hujus constitutionis sententia.

EX sententia judicis non recte apprehenditur nisi possessio vacua, & quam in urbe quidem vacuam esse exequtorum testimonia adseverent, in provinciis acta defensorum plebis vicinorum testimonio confirmata. Et similiter ex contractu in provinciis quoties quis ingredi possessionem desideret, acta apud defensores civitatum fieri debent traditæ possessionis, simul ac consentientium voluntati tradentis, novoque domino colonorum vel actorum possessionis. Si non sit copia defensoris, apud præsidem: vel etiam, si hic longe absit ab eo loco, quo traditio fit, apud episcopum.

Forma P. P. secunda.

TIT. LI.

DE HOMINIBUS QUI EIDEM DOMINO SUBJECTA[16] PRÆDIA POSSIDENT.

NOVELLA CONSTIT. CLXVIII.

HÆc est περὶ ὁμοδούλων, id est de prædiis hominibusve prædiorum ratione eidem domino servientibus. His solent accrescere invitis defecta defertave prædia ejusdem substantiæ ut diximus *Novell.* 128. & 166. denique ἐπιβολή, onus est, ὁμοδούλων ἢ ὁμοκήνων, & irrogatur rusticis prædiis tantum. Nam & hæc sola referuntur in censum, non annonæ civiles, non ædes. Et ideo in tit. Dig. *de censibus*, agrorum tantum censendorum mentio fit: ac quod est de servis, *l.* 4. §. *in servis*, id de rusticis tantum accipio, qui pars agrorum sunt, ut dixi supra *Novell.* 7. Sed & quod dicitur de tributo capitis *l.* 3. id in agris tantum locum habet, non in urbibus aut metrocomiis, *l.* 1. *C. de cap. civ. l.* 8. *C. de exact. trib.* Prædiis igitur urbanis aut annonis civilibus non irrogatur agrorum ἐπιβολή, quia nec sunt ὁμόκηνα, nec satis est si sint ejusdem originis.

1 Hæc etiam Novella est Tiberii. 2 Et eorum jure confirmato. 3 Vide *Novell.* 163. 4 *Novell.* 134. *cap.* 3. 5 Signacula mobilibus: Tituli immobilibus imponebantur. Signaculum *le seel ou le feau*: Tituli, *affiches & panneaux.* 6 *Novell.* 17. *c.* 15. *l.* 2. *C. ut nemini liceat sine jud. vide qua ibidem notavi.* 7 Edicta solent in insignioribus locis civitatum publicari. Facit *Novell.* 120. *cap.* 6. §. 2. *l. pen. C. de defensoribus civit. l.* 2. *C. de annali. l.* 7. *C. de bon. proscr.*

8 Videtur esse ὑπαρχικὸν, nam & de eadem re extant quædam apud Harm. *lib.* 2. de eparchiis dicam *Novell.* 166. ℸ. 9 Hinc *Novell.* pertinet ad *Novell.* 63.

10 De prospectu in mare, vide *Nov.* 63. & Gudelin. *de jur. Noviss. lib.* 2. *cap.* 1. *n.* 8. Anf.

11 Sicut Basilica sunt libri complectentes leges promulgatas ab imperatoribus: sic *Eparchica* sunt libri continentes formas sive edicta præfectorum prætorio, quæ constat vim legis habere. *l.* 2. *C. de offic. pref. prat. Orient. l.* 16. *C. de judic. l. pen. C. de fidejussoribus.*

12 Ἰδιοι ἐπιγραφὴν. ἐπιβολαὶ hic non sunt adjectiones quæ fiunt in auctionibus & licitationibus publicis, ut in *l.* 21. *in fin. ff. ad municipalem.* ἐπιβολὴ hic, teste Harm. est ἐπίδοσις κτήσεως πρὸς κληρονόμους, ἢ συντελειάς ἢ ὁμοχώρους καὶ ὁμοκήνους, legendum ὁμοκήνους. vide Cujac. 4. *observ.* 30. 13 Συγκτησις. συγκτησις est universa possessio multorum prædiorum. *l.* 34. §. 1. *ff. de leg.* 2. *l.* 30. §. 1. *ff. de admend. leg at.* Græci μετοχὴν appellant *d. l.* 34. *in fin.* id est, universam prædiorum una clausula conceptionem. Massa dicitur a Leone & Anthemio, *Novell. de bon. vacantibus.* massa terræ, *Masseries*, & quod septis firmata sit, firma, *ferme* dicitur.

14 Ἐπιβολὴ est ἐπίδοσις ἀπὸς κτήσεως πρὸς κληρονόμους ἢ συντελειὰς ἢ ὁμοχώρους ἢ ὁμοκήνους, Harm. *l.* 6. *tit. de verb. signif.* §. 29. 56. *Ecl.* 18. *cap.* 6. Est igitur onus συντελειῶν, ὁμοχώρων καὶ ὁμοκήνων, quod rusticis tantum prædiis irrogatur, non urbanis aut annonis civilibus, hac *Novell. & Novell.* 6. & 128. ἐπιβολὴ est licitatio quæ fit in auctionibus.

15 Vide Cujac. 8. *observ.* 10.

16 Τύπος τῶν περὶ ὁμοδούλων. vide Cujac. *d. l. ad Nov.* 128. 166.

FINIS NOVELLARUM D. JUSTINIANI SACRATISSIMI PRINCIPIS.

JUSTI-

JUSTINIANI IMP. EDICTA[1].

HENRICO AGYLÆO INTERPRETE.

EDICTUM I.

Edictum scriptum piissimis in omni terra Archiepiscopis & sanctissimis Patriarchis.

TRaditæ[2] nobis a Deo reipublicæ curam habentes, & in omni justitia vivere nostros subjectos studentes, subjectam legem conscripsimus: quam & tuæ sanctitati, & per eam omnibus qui tuæ provinciæ sunt, facere manifestam, bene habere putavimus. Tuæ igitur sit reverentiæ & cæterorum hoc custodire: & si quid transcendatur a judicibus, ad nos referre, & quæ sequuntur.

EDICTUM II.

NE PRÆSIDES IN FISCALIBUS CAUSIS FIDEM[3] PUBLICAM DENT.

Idem Imperator Joanni prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

EX iis quæ a gloria tua fine scripto ad nos relata sunt, non exiguam publicorum tributorum illationi difficultatem provinciarum præmus. Eos enim qui tributa publica suscipiunt, inde sibi fecuritatem atque tutamentum prætendentes, quod aurum ipsis perfusum sit non transmittere, sibique maximam partem retinere, & cum aurum debeant, male sibi data fide publica abuti. §. 1. Missa igitur ad excellentiam tuam hac sacra pragmatica forma, statuimus, ut per edicta sua omnibus clarissimis provinciarum præsidibus interdicat, ne in fisci causis fidem publicam dent: in privatorum autem solum causis liceat ipsis, iis qui id desiderant fidem publicam dare, idque ad certum tempus: quod non continuo poterunt, ubi elapsum fuerit, denuo renovare. Sciant vero omnes quod ubi tales fecuritatis promissiones ab illis acceperint, nullam inde utilitatem sensuri sunt: sed facultas cuicunque cui hoc injunctum est, ut quæ ab illis debentur publica tributa perfundat, fuerit, ut illos comprehendat: ut quæ illis in provincia data fides publica fuerit, in nulla re ipsis utilis futura sit. Cæterum illi soli fecuritatem habeant, qui aut ad sacram nostram jussionem, aut ad excellentiæ tuæ mandata fecuritatis promissiones absulerint.

CAP. I.

POsteaquam etiam a gloria tua edocti sumus, quomodo nonnulli in diversis provinciis, inquisitione[5] in eos qui se hæreticorum erroribus dedidissent facta, cum multos subditos hanc ob causam comprehendissent, sportularum ratione magnam vim auri ab ipsis ceperint: sancimus, ut qui id ausi sunt, & comprehendantur, & ad clarissimos provinciarum præsides adducantur, post probationes, quod ceperint, in triplum restituturi: ut simplum iis qui damno affecti sunt, reddatur, duplum vero in fiscum inferatur. §. 1. Porro qui in vicariana cohorte, quæ spectabili Alianæ jurisdictionis vicario apparet, locum & ordinem obtinent, suo bonorumque suorum periculo publicorum tributorum illationi incumbant: cum quidem qui in provinciali cohorte numerantur (quomodo & id ad nostram pietatem excellentia tua retulit) deficiant, numerusque ipsorum in paucos admodum coarctetur, ac a longo jam tempore clarissimi provinciæ Phrygum Pacatianorum[6] gentis præsidis magistratum etiam vicarius assumpserit. Qui ergo in vicarianam cohortem referuntur, facultatem habeant, ut ex vicarii, qui nunc est, & pro tempore futurus est, jussu publicas contributiones exigant, illasque fisco inferendas curent. §. 2. Constituimus etiam, ut qui in quacunque provincia provinciales tributorum susceptores sunt, in apochis quas faciunt, quod ipsis perfusum aurum est, distincte describant: distincte etiam ponant, quantum occasione eorum, quæ excellentiæ tuæ mensæ, quæque sacris nostris largitionibus competunt, transfusum sibi sit, ut persolutam quantitatem per hujusmodi acceptationes evidenter explicent & manifestent: denique ne qui facultatem habeant, ut quæ ex aliis titulis acceperint, in aliis transponant & accepta ferant. §. 3. Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc sacram pragmaticam declarantur legem, ea excellentia tua ad effectum deduci præcipito.

EDICTUM III.

DE ARMENIORUM SUCCESSIONE[7].

PRÆFATIO.

ARmenios pristina injustitia liberatos, tum ad nostras per omnia leges deducere, tum decora æquabilitate donare volumus.

CAP. I.

ET quoniam barbaricam[8] quandam insolentemque & quæ neque Romanos, neque nostræ reipublicæ justitiam deceat, apud ipsos esse legem nuper didicimus (ut *nempe masculi in parentum hereditatem succedant, fœminæ vero non*) emissa præsenti ad magnificentiam tuam sacra lege decernimus, ut successiones æquales sint: & quæ de viris mulieribusque Romanorum legibus constituta sunt, hæc etiam in Armenia obtineant. Sane idcirco illuc nostras etiam leges transmisimus, ut in eas oculos convertentes ad præscriptum illarum rempublicam gubernarent. §. 1. Quoniam vero quæ præcesserunt, ea omnia commovere absurdissimum esset, statuimus, ut hæc lex inde ab initio pii nostri imperii vim & vigorem habeat: ut ab eo tempore hucusque defunctorum successiones hunc ad modum fiant, præterquam si qui jam transegerint, aliove modo se invicem liberarint. Si enim tale quippiam factum sit, id in suo robore permaneat, nulloque modo commoveatur, jubemus. §. 2. Porro *mulieres* a prædicto tempore eorum etiam prædiorum quæ genearchica[9] vocantur, participes esse volumus. Si vero inveniri nonnullos contingat, qui filias quanquam non vocarentur ab intestato ad successionem, heredes tamen scripserint, illæ similiter, quique ex illis nati fuerint, in res genearchicas successionis participes sint.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc sacram declarantur legem, excellentia tua & custodire & fini tradere studeat: ut leges nostræ per omnia obtineant, autoritatemque habeant. Ac præsens quidem lex ab initio imperii nostri (ut jam diximus) incipiat, & simul in omne tempus extensa, in posterum omnibus modis in republica vim habeat, atque ab omnibus observetur. Dat. 10. Kal. August. BELIS. 10 V. C. CONS.

EDICTUM IV.

DE MAGISTRATU PHOENICIÆ LIBANICÆ[11].

Idem Imperator Joh. gloriosiss. sacrorum per Orientem prætoriorum præfecto, iterum exconsuli & patricio.

PRÆFATIO.

MAgistratus creari oportere gratuito jam lex nostra[12] præcipit, quam sane & autoritatem per omnia obtinere volumus.

CAP. I.

POsteaquam vero omnia ad subditorum benevolentiam *demerendam*, locorumque custodiam & munitionem undique indagantes, magistratus partim conjunximus, partim divisimus, alios in aliam atque aliam formam transmutavimus, nonnullos vero sublimiores fecimus, nominibusque majoribus quam quæ tunc essent, decoravimus, prætores[13], proconsules[14], moderatores[15], & comites[16] præter pristinum tutitatem facientes: oportere etiam putamus, ut magistratum Phœniciæ ad Libanum ex ducalibus in spectabilem transferamus, & moderatoris formam illi demus, tum etiam annonas ad decem auri libras assignemus: ipse vero istius proventus occasione fisco nihil præbere debeat. Interim apud Phœnices scripsit tractator, pro nuper attributo illi munere, quod & beneficium[17] nuncupatur, ex canone ejusdem provinciæ clarissimo pro tempore spectabilium tribunorum notariorum primicerio denas auri libras in singulos annos dabit, quibus ille solis contentus esse debebit. Moderator porro a muneribus[18] omnia pura conservet, & quatenus ipsi sacra nostra constitutio permittit, militum ministerio utatur.

CAP. II.

VErumtamen eximium illi fortissimorum Tertiodelmatorum[19] numerum, ut in Phœnicum regione est, assignamus, qui præcepta ipsius exaudiant, qui ipsum insequantur: qui denique justis ipsius, quæ aut de vectigalium exactionibus aut de reipublicæ statu, aut de civitatum incolumitate procedent, pareant. Qua de re cum instrumenta etiam confici jusserimus, statuimus ut excellentia tua hæc omnia cognoscens, hujus magistratus præfecto decem libras auri in annonas assignatas, ex provinciæ tributis persolvendas constituat. Interim quæ constituta sunt, ut quotannis a publicarum rationum procuratore specialibus clarissimo tribunorum notariorum primicerio darentur, imminuenda non sunt: neque vero præterea quicquam illi est addendum. §. 1. In primis autem *moderatori* studio sit, ut fisco faveat[20]: dehinc, ut disciplina & conveniens ordo in civitatibus conservetur: tertio, ut justitiam inter plebeios exerceat. Quæ vero (ut dictum est) scripta sunt a nobis de mo-

1 Edicta sunt generales leges, quæ omnes populos & provincias tenent, *l.* 3. *C. de legibus.* 2 Hoc edictum extat in Novell. 8. post *cap.* 14.

3 Ἀσυλειαλόγου ut & *in edict.* 13. *cap.* 11. J. Vetantur iniqui tributorum exactores λόγῳ ἀσυλίας κεχρῆσθαι *Novell.* 128. *cap.* 13. dicitur etiam simpliciter λόγος *Edict.* 13. *cap.* 10. J. *Novell.* 17. *cap.* 6. appellat καλλιστον λόγον ut & *Novell.* 7. *cap.* 2. §. 1. καλλιστην πίστιν, ubi interpres vertit Justjurandum, Galli, *Franchise & sauf conduit.* vid. Papon. 1. *Arr.* 7. *de sauf conduit, & enfranchise d'eaux*, & 3 *Notar.* 8. *des sauf conduits & passeports.*

4 Λόγου ἀσυλίας. *Scrimg.* 5 Vetat hoc edictum ullos quæstores hæreticorum admitti, ut & *Nov.* 17. *cap.* 11. *Novell.* 103. *cap.* 2. Hanc enim vocitatam sæpe præfarii quidam a Principe postulabant, ut hoc prætextu plebem innocentem expilarent. Possis huc referre ex Tomo 4. *Ordinationum Galliæ tit.* 6. *des inquisiteurs de la foy, & de leur turisdiction.* Pap. 29. *Arr.* 2. *n.* 10. Clar. 5. *sententi.* §. *hæref.* 7. Pet. Greg. 33. *Syntagm.* 6. 7. 6 Phrygiæ Pacatianæ fit mentio in *Novell.* 8. *cap.* 2.

7 Adde *Nov.* 21. *de Armen.* & præfertim *cap.* 1. *ibid.* ubi successionis apud Armenios receptæ fit mentio: adde *Nov.* 31. 8 Eadem lex fervata fuit a Salia, seu Francis his verbis, *de terra Salica nulla portio hereditatis in mulierem pertranfit &c. titul. de Allodiis l.* 6. & ab Anglis seu Thervinis idem etiam receptum, addita prohibitione, *ne hereditas transferet in fœminas ad fustum. Titul. de Allodiis l.* 8. Displicuit tandem ea lex Francis,

excepta regni successione, ut ex formula Marculphi apparet, quæ extat apud Cujac. 8. *observ.* 14.

9 Τῶν γενεαρχικῶν χωρίων *Scrimg.* Genearchica prædia, progenitoria. Ita prædia vertit interpres *Novell.* 21. *c.* 2. *in fin.* propria cujusque patrimonia, quæ nihil pœnitent, nec fidem, vel hominium, investituram, vel ἐνδοτικὰ debent: eaque vulgo Allodia: & *lib.* 2. Feud. 48. dum sit, si datum sit ad proprium sive ad libellum, allodium intelligit, ut *tit.* 28. allodium sive libellarium, Gallis *franc alleu.*

10 Id est, anno 535.

11 Λιβανησίας. *Scr.* Phœnicia Libanica, ad Libanum montem sita. de Libano, vid. Plin. 20. Libani fit etiam mentio ἐκφίλησιν in scripturis. 12 Hinc præter Lycaoniæ, *Novell.* 25. Paphlagoniæ, *Novell.* 29. Pisidiæ, *Novell.* 24. Siciliæ, *Novell.* 104. Thraciæ, *Novell.* 26. Populi, *Novell.* 13. 14 Hinc proconsules Cappadociæ, *Novell.* 31. Palæstinæ, *Novell.* 103. 15 Hinc moderatores Arabiæ, *Novell.* 102. Hellespontí, *Novell.* 29. 16 Hinc comes Isauriæ *Novell.* 27.

17 Βενεφίκιον *Scr.* 18 Excipe esculenta, potulenta, quæ ad paucos dies prodigunter, *l.* 28. *ff. de offic. præsid.* excipe ξένια, de quibus dictum est: ut nec omnia, nec quovis tempore, nec ab omnibus accipiantur. *l.* 6. §. 2. *ff. de off. proconf.* *Scrimger. de J. fisc.* 19 Τερτιοδελματῶν. 20 Res ita est, Vectigalium exactionem commendari præsidibus *Novell.* 8. *c.* 8. *Novell.* 161. *cap.* 2. quanquam in dubiis causis fisco favendum esse dicto.

deratorum reliquorumque magistratuum statu in sacra nostra constitutione, ea omnia & in illo locum habeant. §. 2. Sane si dictus devotorum Tertiodelmatorum [1] numerus nostro jussu in alia transferatur loca, alterum illi *in ejus locum* surrogatum & subjiciendum curabimus: ut ne quid ex solenni plenoque auxilio omnino illi desit. In his porro jam dictis rebus spectabilis dux nihil communionis habebit. Nolumus enim, quicquam illi commercii esse aut cum militibus spectabili moderatori certo assignatis, aut cum plebeiorum quoquam, aut cum illorum controversiis quas inter se habuerint: aut si cui plebeiorum, in quos illi nullum jus concessimus, dica impingatur: propterea quod inter rei militaris curam & civilem administrationem permultum interfit, ac discernì hæc oporteat, quemadmodum patres reipublicæ id nobis ordinarunt, & constituerunt. Ac sciant spectabiles duces, quod si rebus civilibus se ingerere [2] audeant, militarem magistratum non retinebunt, & huic magistratui subjiciendi erunt. In nulla namque re inferiorem hunc magistratum ducis magistratu esse volumus. Volumus insuper ut (quomodo dictum est [3]) quam vehementissime publicarum contributionum exactioni incumbat, plebisque incolumitati invigilet, & ne spectabilibus ducibus, neque clarissimis tribunis, neque cuiquam potentium domuum, imo ne sacro quidem nostro patrimonio, aut sacris nostris privatis, aut sacræ nostræ domui, qualecunque tributariis nostris damnum inferre permittat: ut ne etiam demisso animo neque pavidus sit, sed virilem in modum subditis præsit, omniaque faciat quibus alii moderatores ex præscripto obstricti sunt. Atque ita *quidem* rerum summa ab ipso administretur.

CAP. III.

Illud sane etiam fieri & obtinere volumus, ut spectabiles duces [4] inde annonas auferant, unde spectabilis provinciæ moderator eas auferendas constituerit: propterea quod manifestum sit eos non tam socoditer ad res animum adversuros esse, ut quæ sibi competant, petere non possint. Sciant vero, quod si præter hæc quippiam fecerint, viginti libras auri mulctam persundent.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc sacram declarantur legem, excellentia tua effectui & fini tradere studeto.

EDICTUM V.

DE [5] TEMPORE [6] ACTIONUM QUÆ SACRIS LOCIS COMPETUNT.

PRÆFATIO.

Quod [7] medicamenta morbis, hoc jus præstat controversiis, & cætera.

EDICTUM VI.

EDICTUM PIENTISSIMI DOMINI NOSTRI JUSTINIANI [8].

PRÆFATIO.

Cognovimus, quomodo post castigationem Domini Dei benignitate immissam, qui negotiationes & ludos [9] literarios exercent; diversi etiam generis artifices & agricolæ, insuper & nautæ, cum potius meliores fieri deberent, lucri cupiditati se dederint, & duplicia tripliciaque pretia ac mercedes præter veterem consuetudinem requirant.

CAP. I.

Visum igitur est per sacrum edictum omnibus interdicere detestandam istiusmodi avaritiam, & ne quis in posterum cujuscunque disciplinæ aut artis magister, qualiscunque etiam negotiationis negotiator, qualiscunque demum agriculturæ agricola, quam vetus consuetudo ferat [10] plus pretii mercedisve nomine exigat. Jubemus vero etiam, ut ædificiorum, & colendæ terræ, aliorumque operum mensores nihil amplius operariis imputent, & illis antiquam consuetudinem conservent. Hæc autem observari jubemus, & eos qui qualiacunque opera demandant, & eos qui aliqua redimunt. Si quidem nec ipsis amplius quam more constitutum sit, dare concedimus. Sciant vero qui quicquam amplius quam pro veteri consuetudine requirunt, quod triplicem quantitatem in fiscum inferre cogentur, si supra id quod ab initio constitutum fuerit, cepisse illos quicquam aut dedisse ostensum sit. Hæc porro inquiri ac vindicari jubemus & ab excellentia tua, & a gloriosissimo felicis hujus urbis præfecto. Volumus enim per vos ab hujus nostri edicti transgressoribus constitutam mulctam exigi pœnisque illos subdi: ita ut quæ nobis parent cohortibus, quinque librarum auri mulcta incubitura sit, si quid ex iis quæ a nobis constituta sunt, neglectum fuerit. Dat. 2. Kal. April. *Constantinop.* DN. JUSTIN. PP. August. post [11] BELIS. V. C. CONS.

EDICTUM VII.

FORMA PRAGMATICA DE ARGENTARIORUM [12] CONTRACTIBUS.

In nomine Domini Jesu Christi Dei nostri.

Imperator Cæsar Flavius Justinianus, Alemannicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Wandalicus, Africanus, pius, felix, inclytus, victor, triumphator, omni ævo adorabilis, Augustus.

PRÆFATIO.

Quemadmodum virtutis vis in rebus adversis semper elucet, ita etiam imperatoria cura & gubernatio in subditorum controversiis manifesta fit. Et optandum [13] quidem nobis est, ne quid unquam reipublicæ nostræ adversi eveniat: verum si aut rerum humanarum mutabilitas, aut commota ad id divina voluntas mortalibus mala immittat, defuper benigne inducta castigatio Imperatorie curæ benignitatisque occasio fit. Quod sane hoc tempore *ita evidenter* accidit, ut opus expositione non sit. Cum enim mortis aculeus & periculum omnia loca pervagata sint, quod quisque sensit, nemini audire necesse est. Quando itaque multa ex improviso inciderunt, quæ non temere tempus aliud induxisset, qui in corpore ac collegio argentariorum recensentur, nos accesserunt, dicentes [14], heredes nonnullos ac successores quorundam, qui scriptura non interveniente ab argentariis aurum, aut argentum etiam, aut alias species accepissent, ad perfidiam improbitatemque spectare: quod videlicet neque qui ceperunt, superessent, neque ipsi heredes sive successores, cum contractus conscripti non sint, convinci possint.

CAP. I.

Huic igitur rei mederi conantes, statuimus, ut qui ad hunc modum judicium subeunt, oculis in conscientiam [15] defixis, expresse ac plene quæ illis, in quorum bona & jus successerunt, ab argentariis data sint, confiteantur: ut etiam *qui adhuc* superstites *sunt*, ejus collegii [16] quod ipsis actionem intendit, argentariis idipsum faciant. Idem etiam a servis, qui ab iisdem judicibus examinantur, fieri jubemus. Sciat vero utraque pars, si ministrorum testimonio, aut quæ cum jurejurando fiat, diariorum productione, aut alia etiam aliqua sufficienti probatione res convincetur, quod qui improbe egerint, quæ fraudulenter & per improbitatem negaverint, in duplum [17] dependent, sive rei veritatem occultaverint, sive illam cognoscere neglexerint.

CAP. II.

Alterum ad nos ab ejusdem corporis argentariis relatum caput est, ut ne teneantur quæ ab illis cum quibus contraxerunt, confessiones, tabulæ, aut ratiocinia ipsorum manu conscripta, sibi exhibita sunt, posteaque in dubium devocantur, ista ipsi per publicorum instrumentorum collationem probare: propterea quod ipsorum collegium multis, & præcipue nobilibus credat, qui contractus suos publicari [18], aut statum [19] rerum suarum manifestum fieri non sustinent, maluntque (ut confitentaneum est) divites quam oberati aliis videri, sed ut propria manu (ut dictum est) in se conceptæ literæ eandem cum publicis instrumentis vim obtineant. §. 1. Et in hoc mediam [20] quandam nos viam ingressi, qua & argentarios adversus eos qui de talibus capitulis litem movebunt, & rursus hos adversus illos uti volumus, statuimus, ut si istiusmodi illorum qui contraxerunt propria manu scriptas literas argentarii proferant, quas aut ipse cujus esse dicuntur, aut ipsius heredes successoresve non possunt cum jurejurando abnegare, tanquam *procul dubio* ab illo cujus præ se nomen ferunt, scriptæ sint, numeratam pecuniam [21] non esse opponi nequeat. Insuper vero si argentarius ex [22] publico instrumento propriæ manus [23] scripturam confirmare possit, aut ipse quidem id negligat, adversarius vero ex alterius publici scripti comparatione scripturam illam ut falsam redarguere nequeat: tunc ex instrumentis, quæ illorum manu *de quibus agitur*, conscripta esse certo constat, & tertium subscriptione stabilita sunt, ad ea *eorundem* scripta quæ ab argentariis, aut adversus eos ab iis qui contraxerunt, proferuntur, comparatio fiat, firmaque sint, nec minorem quam publica instrumenta vim & autoritatem habeant, non ex firmitate & vigore qui illis inest, sed ex sola forma. Nihil etiam prædicii in hoc supplicibus sit, quod in scripto ab iis qui contraxerunt ipsis dato, hypothecæ, aut heredum successorumve nomina non [24] insint.

CAP. III.

Ejusdem porro corporis argentarii similiter etiam qui cum illis contrahunt, dummodo similes adversus illos actiones moveant, facultatem habebunt, ut si qui defuncti propter inopiam heredes non habuerint, debitores vero reliquerint, aut res aliquæ quæ ad ipsos pertineant, apud aliquos depositæ oppignoratæve inveniantur: adversus illos competentes actiones moveant, & ex illis satisfactionem sibi parent. Idem etiam ipsis in bonis illorum qui cum ipsis contraxerunt, & debent, dum illi adhuc vivunt, fervabitur, ut ipsis, sive actores, sive rei sint, si velint, tametsi in instrumentis hypothecæ nulla mentio inist, hypothecarias tamen actiones movere liceat: quasi eæ naturaliter [25] argentariorum, eorumque qui cum ipsis contrahunt, contractus comitentur. Habebunt vero id etiam, ut tempore posterioribus creditoribus præferantur. Non æquum enim est, a nostrorumque temporum justitia alienum, eos qui bene de aliis merentur, rebus suis privari: qui vero debent, superbire de alieno.

CAP. IV.

Illud sane etiam in illorum subsidium adjicimus. Quoniam enim quæ ab ipsis ineuntur contractibus, vehementer novella nostra [26] lex repugnat, quæ jubet ne creditores adversus eos qui aliquid a debitoribus emerint, prius judicio agant, quam principales debitores per cessionem bonorum non solvendo esse confitet, (id quod admodum illis grave & molestum fuit, propterea quod qui emunt, velut ex consuetudine quadam & *ob evictionem* [27] fidejussores quærant, & aliam [1] sibi omnem securitatem parent: ipsis vero id neque consuetudo, neque in conficiendis contractibus celeritas permittat) per præsentem sacram pragmaticam formam, eam speciali munificentia ipsis elargimur, quæque alteri personæ, collegio, corpori, aut officio nullo modo competat, statuimus, ut & ipsi & qui cum ipsis contrahunt, quando adversus ipsos actiones instituunt, in inquirendis persequendisque rebus in quibus ipsis tempus prærogativam præbet, tali privilegio [2] utantur, quale ante legis nostræ lationem habuerunt: ut probatione debitores bonis cessisse non gravati, fiquidem satisfactionem a principalibus consequi nequeant, adversus res ab illis abalienatas, & ex speciali generalive hypotheca ipsis obnoxias, in quibus, (ut dictum est) antiquius quam alii creditores jus habent, actionem movere possint. Existimamus enim, quæ prædicto argentariorum corpori, & qui cum ipsis contrahunt, conceduntur, in communem [3] se beneficientiam extendere: ideo quod illi non paucis quibuspiam, sed omnibus ferme quæ in universa republica fiunt contractibus ministerium præstent.

CAP. V.

Hoc quoque illis ad peritionem ipsorum concedere visum est: Ut quando dicam aliquibus impingunt, & ad promissionem decimæ [4] partis adiguntur, ne ab illis fidejussiones exigantur, sed sufficiat ipsorum hac de re factum promissum: quippe qui digni sint quibus per [5] se credatur, cum ipsorum fides & pro aliis sufficere existimetur. Illud manifestum fit, quod si legi succubuerint, nihil illis proderit fidejussorem non dedisse: sed nihilominus decimæ partis pœnam depensuri sint, quemadmodum & qui illos in jus vocant, ipsis. Insuper & qui ab illis in jus vocantur, similibus pœnis subjicientur. Hoc unum discrimen in hoc capite fuerit, quod (quemadmodum jamjam dictum est) qui e collegio argentariorum actiones instituunt, fidejussorum datio in decima parte per speciale nostrum beneficium his condonata & remissa sit.

CAP. VI.

Quoniam vero quod supplices ad diversa tribunalia [6] protrahuntur (idcirco quod eorum qui cum ipsis contrahunt infinitus numerus sit, & ut contingit, pauci probi sint & grati) non solum ipsis damnum, verumetiam communibus rebus impedimentum inferri compertum est: etiam in hac parte priorem nostram circa illos providentiam imitamur, ac jubemus ut speciales illis judices sint, sive in jus vocent, sive vocentur, & prudentia tua [7], & Petrus gloriosissimus facrarum nostrarum largitionum comes, consularis, & patricius, ut apud utrumque horum movendæ inter ipsos & alios qualescunque controversiæ, aut etiam apud judices antehac a nobis illis datos ac deinde defunctos jam motæ examinentur, atque brevi finem, qui nostris legibus conveniat, capiant, & supplices prætoriorum vexatione liberati, officio & rebus suis vacent: tantoque candidius & libentius subditorum contractibus operam navent, quanto minore improbitate & ingratitudine tentantur, aut qui improbi esse conantur, iniqua illis damna inferre non sinuntur.

CAP. VII.

Porro postquam & aliam nobis dolosorum hominum fraudem exposuerunt, denuntiantes, quomodo quidam a dicti collegii argentariis pecunias mutuati aut mutuantes emerint aut emant possessiones immobiles suarum uxorum aliorumve quorumpiam familiarium nomine, quo videlicet generalem illam acquisitorum acquirendorumque bonorum oppignorationem circumscribant: nonnulli etiam quæ sibi debentur, a debitoribus aut in pecuniis, aut omnino in immobilibus rebus receperi, non in suam personam, sed (quemadmodum dictum est) aut uxorum, aut cognatorum istiusmodi solutionem, cessionem, aut venditionem faciendam curent, quo per istiusmodi rationem inopiam prætendere possint: ipsi vero qui ex dicto argentariorum corpore de illis benemeriti essent, hos quibuscum contractum iniisse non videantur, in jus vocare nequeant: in hoc quoque capite parem munificentiam argentariis, & qui adversus ipsos similes controversias movent, exhibentes jubemus, ut [8] si debitorum quempiam dolo fecisse quominus res suas possideat, aut jus suum clam in alium transtulisse demonstretur, liceat actoribus in rem, aliave legitima actione id factum esse obtendere, adversusque dictas res, quasi debitoris sint, procedere, & undique technis pulsis, indemnitati suæ & in debito & in hoc factis expensis consulere. Eam autem prudentiæ tuæ memoratique gloriosissimi viri diligentiam esse scimus, ut jam motas, nondum autem finitas, aut in posterum etiam movendas controversias ita dijudicaturi sitis, ut neque supplices ex debitorum improbitate aut fallacia injustum dispendium subeant: neque innoxii ex iniquis obliquisque commentis importunas everliones sustineant. Ita vero etiam, ut quæ nuper ipsis petentibus præbita sunt, rata & inconcussa maneant, & quæ per præsentem sacram nostram pragmaticam formam liberaliter concedentur, ad mentis voluntatisque nostræ scopum perficiantur, qui hoc agimus, ut omnes subditi recte & non captiose in negotiis versentur, & quibus debetur, quod ministerium reipublicæ negotiis præbeant, quieta vita fruantur, ac neutiquam per improborum machinationes judiciis, quæque inde manant difficultatibus, & dispendiis implicentur.

CAP. VIII.

Cæterum quod in quoquo dictorum capitum specialiter posuimus, id in orationis obsignatione & fine generaliter ponere visum est: ut in omnibus prædictis, his qui in prædicto argentariorum corpore recensentur, eorumque heredibus & successoribus [9], *tam etiam illis qui cum ipsis contrahunt, ac eorum heredibus & successoribus*, in quibus *rebus* adversus

1 Puta pignora. 2 Argentariis datum hoc fuit, ut inexcusso reo conveniantur: fidejussores vero inexcusso reo non conveniunt, quod inæquale admodum fuit. Hodie licet argentariis pado in ea re sibi prospicere. *Novell.* 136. *cap.* 2. 3 Argentariorum officium publicam causam habere dicitur, *l.* 10. §. 1. *ff. de exhend.*, *Nov.* 136. 4 Decimam, cujus hic mentio, solvebant, qui calumniose agebant, §. 1. *versic. hoc autem, Inst. de pœna temere litigantium.* eaque fuit ex litibus actio. Nam initio litis cavebat actor, *Ni vicisset, reo decimam præstitum iri*, & erat reprimitio, non fatisdatio, ut ex C. Hermogeniano *tit. de calumniatoribus*, constat. Eam actionem decimariam, non unendo amissam, restituit Justin. eo addito, ut decimæ cautio fatisdationem habeat *Nov.* 112. *c.* 2. qua lege hic eximit argentarios, quibus agentibus rei reprimitione citra fatisdationem contenti esse debent. 5 Sponeis creditur. 6 Forum competens argentariorum obtinet. 7 Præfectum urbis intellige *arg. edict.* 9. J. 8 Vid. *Nov.* 136. *cap.* 3. 9 Ὀφειλητας, sed familiare est Justiniano hoc verbo uti, pro ὀφειλομενοις. 10 *l.* 3. §. 5. *ff. quod quisque jur.* 11 Quod quisque juris in alium statuerit, eodem utatur, *l.* 1. *l.* 3. *ff. quod quisque jur. l.* 3. *in fin. ff. mandati*: *l.* 7. *C. de rescindenda venditione.* 12 Præfecturam urbi aliquotiur *arg. edict.* 9. J. 13 Id est, anno 542. 14 Restituæ scil. quemque antea fuisse erat Justinianus, eo in Comitem Galatiæ mutato, *Novell.* 8. *cap.* 3. Vicarius ergo Pontici hic restituitur, cui datur jurisdictio in universum tractum Pontice diœceseos. Quæ Vicarii in Oriente fuerint, vide *l. ult. Cod. de dro. off.* 15 Et ita abrogatur *Novell.* 8. *c.* 3. 16 Galatiæ primæ sunt redditur Consularis civilis magistratus. 17 Vicarius Pontici tractus, civili & militari magistratu fungitur, vicem agens plurium magistratuum. 18 Sacerdotes subsunt forum civile. adde *c.* 2. J. 19 Οἱκου ἀκρατησεως. 20 Appellationis proprium est, item suspendere. 21 Vide *l. un. ff. nihil innovari appellatione interposita.* 22 Ac civilem. 23 Pontice. 24 Tractus Pontious qualis. 25 De deferentibus vid. *l.* 3. *l.* 4. §. 5. *ff. de re militari.*

argentarios actiones movent, æqualia [11] privilegia sint. Convenit enim, ut utraque pars eam simplicitatem integritatemque in contractibus ac negotiis suis servet, quam sibi ab altera servari velit. §. 1. His demum per præsentem sacram nostram pragmaticam formam jussis & hoc addimus, ut prudentia tua [12] omnesque magni magistratus eos qui in prædicto collegio recensentur, juvent, ut sive per edicta, sive per literas, sive per alium quemcunque consuetum modum servato juris ordine competens subsidium consequantur, possitque illis adversus improbos succurri, neque cogantur & ipsi adversus alios improbi esse, sed æquos atque bonos se illis, qui cum ipsis contrahunt, exhibeant: quippe quum id nostrorum temporum bonitati universæque reipublicæ contractibus, quorum præcipui quique & maxime necessarii semper per prædictum collegium fiunt, conveniat.

EPILOGUS.

† Quæ igitur nobis placuerunt, & per hanc sacram pragmaticam declarantur formam, prudentia tua, & quicunque alius reipublicæ nostræ judex, firma servato. Supplicibus vero hanc sacram pragmaticam formam in quocunque judicio, & majori & minori, producendi, illamque recipiendi, ac inde subsidium consequendi facultas esto: utpote quæ tantam in præsenti proposito & in prædictis tractatulis vim habeat, quantam in aliis negotiis generales nostræ leges obtinent. Dat. 5. Kal. Mart. *Constantinop.* Imp. DN. JUSTIN. PP. Aug. Anno XVI. post [13] BASIL. V. C. CONS.

EDICTUM VIII.

DE PONTICI TRACTUS VICARIO [14].

Idem Imperator Basso gloriosissimo sacrorum prætoriorum præfecto.

PRÆFATIO.

Suffecturos *civiles magistratus* Pontici tractus provinciis existimantes, præpositum quondam illis locis *Vicarium* medio post tempore inhibuimus [15]: nihil eorum quæ postmodum ab illis facta sunt, commissum iri expectantes. Atqui posteaquam ex rerum experientia cognovimus, in provinciis hisce homines habitare *latrociniis* & cædibus innutritos, & homines * ferentes semper * congregantes & * armis utentes ** & his, effugiunque in has res constitutas pœnas, dum provincias in quibus deliquerint, deserunt, neque *provincialium* magistratuum quisquam ex attributa sibi provincia egredi audet: ut nos etiam, quanquam perfæpe homines in provinciam emiserimus, siscumque stipendiis gravaverimus, nihil tamen amplius effecerimus, quod ad manum is magistratus non esset, qui auxilium ferre, & istiusmodi insolentiam reprimere posset.

CAP. I.

Revocare *Vicarii* magistratum visum est, & Galatiæ [16] primæ magistratu *ad pristinum statum redacto*, ut non nisi civilis sit, quemadmodum ante erat, quam nos illum, sublato vicarii magistratu, dignitate annonaque majore decoravimus: vicarium denuo omnibus Pontici tractus provinciis præficere: *ita* [17] *vero* ut non sotius præfecti locum adimpleat, verum etiam gloriosissimi magistri sacrorum nostrorum officiorum, gloriosissimorum etiam ducum, magnificentiss. denique *eorum* magistratuum, qui sacro nostro patrimonio, cubiculo etiam, & domesticis, protectoribusque præfecti sunt: deinde istiusmodi potestatem habet, qualem cujusque provinciæ magistratus in sua provincia habere solet: ut neque per dignitatem, neque per facerdotium [18], neque per cingulum, neque per militiam, neque demum per quodcunque aliud quisquam hujus jurisdictioni eximatur: sed ad consimilem modum omnes illi subsint, sive plebeji sint, sive etiam cingulo, dignitate, militia aut facerdotio etiam decorati fuerint, idque non in criminibus solum: (non enim militarem tantum hunc magistratum facimus) verumetiam si quis de re pecuniaria litem instituere velit. Omnibus etenim hominibus, omnimodisque rebus magistratum hunc communem facimus. §. 1. Reddimus autem illi, quod & antea habuit, sacrum [19] auditorium, ut controversiæ in aliqua Pontici tractus provincia provocatione suspensæ, dummodo quingentos aureos non excuperent, non in felicem hanc urbem deduci, sed apud feipsum ad sacrarum formam examinari debeant, sive ex ipsa civilium magistratuum jurisdictione *provenerint*, sive etiam ex sententiis cujuspiam magnæ hujus urbis magistratuum, aut ex nostra justione motæ sint. Nemini vero potestatem facimus, ut postquam provocatione suspensa [20] controversia mota fuerit, altera [21] provocatione utatur. At sane si qua controversia ab initio apud illum cepta sit, eamque provocatio consecuta fuerit, procedet provocatio quemadmodum solebat, antequam magistratuum unissemus, tanquam si medio tempore nihil novi interveniset. Quod sane & in Galatiæ præside jubemus: quem simplicem [22] denuo magistratum facimus, quasi in illo nihil medio tempore innovatum esset.

CAP. II.

Facultatem etiam huic [23] vicario damus, ut [24] a vicina hac Bithynia incipiens, usque ad Armenios ipsos, Trapezunta etiam, & nostræ reipublicæ Persas versus fines in quamcunque Pontici tractus provinciam velit, proficiscatur: ut velut ab initio ac primario quæ hucusque commissa sunt, competentibus pœnis persequatur, (quorsum sane & gladii jus illi concedimus) præcipue vero milites adoriatur si qui *deserint* [25] *stationibus* suis istiusmodi se nequitiæ dediderint. Et si quidem criminibus obnoxium quempiam invenerit; hunc cingulo privet, qualecunque etiam habeat: non expectans donec eum magistratum sub quo is militat, ea de re certiorem fecerit, tanquam qui istius

10 *l.* 3. §. 5. *ff. quod quisque jur.* 11 Quod quisque juris in alium statuerit, eodem utatur, *l.* 1. *l.* 3. *ff. quod quisque jur. l.* 3. *in fin. ff. mandati*: *l.* 7. *C. de rescindenda venditione.* 12 Præfecturam urbi aliquotiur *arg. edict.* 9. J. 13 Id est, anno 542. 14 Restituæ scil. quemque antea fuisse erat Justinianus, eo in Comitem Galatiæ mutato, *Novell.* 8. *cap.* 3. Vicarius ergo Pontici hic restituitur, cui datur jurisdictio in universum tractum Pontice diœceseos. Quæ Vicarii in Oriente fuerint, vide *l. ult. Cod. de dro. off.* 15 Et ita abrogatur *Novell.* 8. *c.* 3. 16 Galatiæ primæ sunt redditur Consularis civilis magistratus. 17 Vicarius Pontici tractus, civili & militari magistratu fungitur, vicem agens plurium magistratuum. 18 Sacerdotes subsunt forum civile. adde *c.* 2. J. 19 Οἱκου ἀκρατησεως. 20 Appellationis proprium est, item suspendere. 21 Vide *l. un. ff. nihil innovari appellatione interposita.* 22 Ac civilem. 23 Pontice. 24 Tractus Pontious qualis. 25 De deferentibus vid. *l.* 3. *l.* 4. §. 5. *ff. de re militari.*